



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Supplementum XXXIII. Ad pag. LXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

quibusque placuerit contentionem instituere, liquidum omnino erit, quæ in illis fuit quondam facta doctrinæ propagatio, ad unius Hiberniæ & Britannicæ exemplum esse institutam. Quin imo quoniam ex Britannia in regnum Francorum nemo advenit olim doctior Albino Alcuino, postquam ipsemet in Britannia divinam humanamque doctrinam in Ebroicensis Ecclesiæ monasterio docuisset, plurimum autem apud Carolum Magnum valuit consilio atque auctoritate; quin hujus eximii viri cum suasionibus tum ductui hæc qualicumque modo rector utiliorque Monasteriorum forma debeatur, equidem haud esse dubitandum arbitror.

SUPPLEMENTVM XXXIII.

Ad pag. LXV.

Haut dissimulabo hic, non omnes viros illos præclaros quos ex Cœnobiis Germaniæ nostræ produisse diximus, nostros esse. Saltim utique Paschasium Ratbertum dedit Corbeja Gallica: Halitgerius quoque si non & Amalarius fuit Francogallus. Primi quoque Bremensium Antistites non eruditis sed sanctis merentur annumerari. Interque eos Anscharium nova quidem Corbeja magistrum habuit suæ scholæ & Ecclesiæ, vetus tamen eruditus: ut patet ex vita ejus à Remberto descripta *cap. V.* Fuit porro Anscharius Cœnobiorum Corbejæ, initio quidem Gallicæ deinde autem & Novæ sive Saxonice, *magister scholæ*, non tamen nisi puerilis. Liquidum id sanè est de veteri Corbeja *ex cap. 3. & 4. Vita.* Cum in Daniam proficisceretur, eundem cum Autberto itineris socio itidem pueros instituisse dicitur *cap. 6.* iis verbis. *Ipsi quoque divino inspirati amore ad promulgandum devotionis suæ religionem, ceperunt curiose pueros querere, quos emerent & ad Dei servitium educarent.*

Pp 2

Præfa-

Præfatus quoque Herioldus ex suis aliquos sub eorum cura erudiendos posuit. Sicque factum est, ut scholam inibi parvo tempore statueret duodecim aut eo amplius puerorum. Similem puerilem ludum literarium Hamburgi ab Anshario esse institutum, narratur *capite 14.* ut & apud Waldonem, qui rudi carmine vitam Ansharii est persecutus, *cap 34.* Ad hoc ipse Ansharius sanctis potius fuit annumerandus quam doctis: imo à doctrina nullam meruit laudationem. Quantumvis verò tenuis adeo fuerit & Ansharii & aliorum in studiis profectus, verumtamen unus Rabanus Germaniæ nostræ potest esse pro omnibus ævi illius, quarumcunque etiam gentium Occidentalis Ecclesiæ.

SUPPLEMENTVM XXXIV.

Ad pag. LXVI.

Regulam Monachorum five Canonicorum, quæ Augustini nomen præ se gerit, esse illius auctoris, malo equidem nunc potius negare quam asserere. Quoniam non tantum in Possidii Indiculo aut Retractationum libello ipsiusmet Augustini, sed nec in quoquam scriptore vetustiore alio ejus fit mentio: eoque nec in Codice illo, quo collegit omnes antiquas Monasticas Regulas seculo nono Christiano Benedictus Abbas Anianensis (quem Romæ curante Luca Holstenio editum, acceptum fero Episcopi atque Principis Paderbornensis hodie in Germania nostra incomparabilis Ferdinandi, liberali dono) reperitur, sed tantum Epistola S. Augustini centesima nona, quæ sanctimonialibus piavivendi instituta præscribuntur. Acquiesco scilicet in judicio Bellarmini, cujus hæc sunt verba: *Ex tribus Regulis sola est tertia S. Augustini, sed feminis data non viris; habetur enim epistola 108, reliquæ duæ non videntur Augustini.* Recentior sanè est Hugo nostras, quam